

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Wersja krakowska.**

Rękopis Zakładu Narodowego im. Ossolińskich, sygn. Oss. 832/I, k. 4rb–4vb

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 57–58 [Gn. 53]

[57] LXXV. De viro vulnerato et deducto ad iudicium.

Si vir vulneratus ad iudicium deductus fuerit cum clamore in facto manifesto, et si ita imbecillis aut debilis fuerit, per tutorem ipsum querulari oportet et prolocutorem per sententiam petat, extunc tali modo procedat sua querimonia: “Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro advocatione, extunc in sententia requiro et si per iusticiam insidias per aliquem pati debeam, quam iure tenere debeam aut sustinere, cum suam causam per iuris exigenciam teneo”. Extunc sibi diffinitur, quod non. Et tunc petat correccionem. Cum obtinuerit, tunc petat colloquium pro consilio. Extunc cum colloquium habuerit, tunc requirat, qualiter suam querelam inchoare debeat, et hoc per sententiam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Extunc diffinitur sibi cum clamore. Tunc [k. 4va] interrogetur per sententiam seu sentencialiter, si requiri debeat ab ore ad os, a quo suam habeat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et preco, aut duo viri, qui in iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audiant, quo suam receperit aut habuerit lesionem, vel quia in eo pacis federa infregerit. Extunc requiritur sentencialiter, ut interrogari debeant circa iuramentum prestitum aut ius civitatis, quod ab eo audierint. Tunc unus interrogetur ad dicendum, quid ab eo audierit. Audita responsiva sua, tunc in sententia requiratur, si iam profecerit, cum sibi diffinitur, quod sic, eciam interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod sic profecerit secundus et tertius. Deinde querela[m] incipit sic dominus: “Domine iudex, placeat attente audire”. Tunc hic N. conquiratur [s] vobis super unum N et T, et quod ipsi venerunt intra unum municipale, et pacem in eo fregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fu[er]it, et spoliaverunt ipsum corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc illi $\text{—re}^a\text{—}$ ter vocantur, quando ter [k. 4vb] per clamorem vocati fuerint, tunc conqueratur ulterius et nominet et malefactores, ut prius querulatum fuerat. Idem faciat tercia vice.

[58] LXXVI. De induciis, que pernoctaverit.

Extunc inducie durant per noctem. Si tunc non compareant, proscribantur. Si autem compareant, duellum in eis aquiri potest.

^a skreślone ręką autora podstawy

IURA źródła prawa dawnego

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]